



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 4. Martyres Damasceni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

§. IV.

*Martyres Damasceni.*Sæcul. XIV.
A.C. 1357.*M. Vill. l. 2.
c. 53.*

Damasci Prætor Sultani Ægyptii vices gerens, ut Christianos argento emungeret, duo urbis loca incendi curaverat: extinctisque ignibus, Christianos id malum de industria dedisse perhibens, ex magno eorum numero ditissimos quæstioni subjecit. Aliqui tormentorum violentiæ ferendæ impares ajebant se rem fecisse, ut Saracenos pellerent: illi, qui ab hoc periculo eximere se volebant, Prætori vim pecuniæ donabant; erantque tam multi, ut is magnas inde opes acquireret. Reliquis optionem detulit vel abnegandi fidem Christianam, vel in cruce moriendi. Multis ab illa descendentibus, constantes viginti duos crucibus affixos camelis vehi per urbem voluit: quo in supplicio triduum vivebant. Religionis desertori filio monstrabatur suus in cruce parens, aut patri filius; transfugæ inter lacrymas orabant Martyres, ut Mahometis sectam profiterendo crudelem hanc mortem subterfugerent. At isti perstantes in sententia abdicabant sacrilegos; neque propinquos amplius agnoscebant suos. Vultis, inqueiebant, nobis adimere bona æternæ vitæ, cui vos nuncium remisistis igna-

Sæcul. XIV. vo brevis cruciatus metu: sed nobis vo-
A.C. 1351. lupe ac singularis gratia est posse Domi-
 num Nostrum imitari. Sic obierunt
 fortiter in oculis Musulmannorum. Sul-
 tanus vero re comperta accitum protinus
 Prætozem per medium corpus discindi
 jussit.

§. V.

Papæ cum Arragonum Rege pactio.

Rayn. 1350.
n. 45.
 Petrus Arragoniæ Rex minime place-
 bat Papæ Clementi: ut liquet ex e-
 pistola, quam hic illi anno priore scripse-
 rat in hunc modum. Tuis in terris op-
 primuntur Ecclesiæ atque Clerus; &
 violatur libertas ecclesiastica. Siquis
 fert rescripta Summæ Sedis ad Judices
 ecclesiasticos contra laicos tibi subjectos,
 Ministri tui non eum illis uti, nec hos Ju-
 dices illa exequi sinunt. Haud ita pri-
 dem Bernardus Alayanus Canonicus
 Valentinus, & noster Nuncius anathema
 pronunciavit aliasque sententias in lai-
 cos tibi subditos, qui contumaciter recu-
 sabant ei solvere, quæ debebant ærario
 Apostolico. Tum vocatum ad te, mul-
 tisque conviciis tuo indignis gradu obru-
 tum per minas terribiles voluisti compel-
 lere, ut sententias revocaret suas: &
 constanter renuentem districto gladio pe-
 titurus eras. Hoc iræ impetu per a-
 stantes